



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XI. Dei manus in omnibus adscipienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

hæc sunt à Domino Deo exercituum? Hæc
cine, inquit, à Deo? Tot mala ab optimo.
Planè ab illo sunt, non quæ peccata, sed
quæ noxia. Malæ & injustæ voluntates,
ambitiosorum Regum, cruentorum sa-
tellitum, luxuriosorum militum, instru-
menta fuere optimæ ac justissimæ vo-
luntatis.

XI. Hinc ad usum nostrum colliga-
Dei manus mus; Primò, quidquid nobis
in omnibus eveniat negligentia, ignorantia,
adspicienda. imprudentia, malevolentia aliena vel no-
stra, statim convertendos ad Deum ocu-
los, velut ad motorem primarium. Deus
hoc permisit, nec permisit nisi volens
permittere; eaque permissione ob justas
causas posita, malo ipso bonus ad bo-
num utitur: admovet errores meos &
alienos ad utilitatem meam, velut artifex
instrumenta operi perficiendo: sicut
operarius sapientissimus efficere quod cu-
pit, & quibus videtur instrumentis. Nihil
agent, nisi quatenus movebuntur à do-
ctissima manu, & aliquid se dignum pro-
ducturâ, nisi opus ipsum nodosæ volun-
tatis

tatis obstinatione resistat opifici. Apud
Theodoretum in Vitis Patrum cap. 21.
Dæmoni plagas comminanti Jacobus
Anachoreta, percute, inquit, si tibi per-
missum est, percute: lubens accipiam
verbera, quia ab eo accipiam, qui feriri
me permisit. Si autem id tibi permissum
non est, infanias licet, numquam percuf-
seris. Facile id quidem, ut antè diximus,
de dæmone intelligitur, nîl facere nisi
Dei permissu. Sed, si attendimus, idem
in affleclis dæmonum peccatoribus agitur:
non nocent, nisi quomodò, & quatenus,
à Deo sinuntur. Eam ob causam apud
Paullum Diaconum lib. 23. Irene Impe-
ratrix de folio per servum deturbata, iden-
titem ingeminabat: Gratia Deo, quòd
indignam me ad imperium evexerit,
gratia etiam quòd me dejecerit: ab ip-
sius manu & hoc & illud fuit; illud in-
merenti collatum, hoc inflictum pro-
merita. In omnibus autem bonis, &
malis, Sit nomen Domini benedi-
ctum.